

rum altera Species floribus gaudet pedunculatis, fasciculatis. Corolla dentes habet longos, patentes valdeque acutos, qui in aliis speciebus breves sunt & obtusiusculi. Corollæ figura in una specie ovata est, in altera Specie & Epithymo europæo, campanulata.

95. GOMPHRENA. *Gen. Pl.* 233.

Differentias veras characteristicas inter Gomphrenam, Achyranthem & Celosiam vix reperio, adeo ut fere dubius hæream, quo referri debeant tres Species Americanæ, commune quid in fructificatione habentes, sed in aliquot partibus & a Characteribus & inter se invicem differentes. Harum quidem duæ ad Gomphreum relatae in *Spec. Pl.* 224. 6 & 225. 8. at differunt ratione, in subsequenibus demonstranda descriptionibus. Secunda nempe fructificatione conjungit primam & tertiam. Aliam in Generib. dub. proposui.

a) GOMPHRENA foliis carnosis obtusis, capitulis oblongis terminalibus. *Spec. Pl.* 224. 6.

CAL. &c. conf. Mscr. descr.

β) GOMPHRENA caule repente, foliis lanceolatis ovatisque, capitulis ovatis axillaribus sessilibus. *Spec. Pl.* 225. 8.

CAL. &c. conf. Mscr. descr.

γ) CELOSIA &c.

CAL. confr. Mscr. descr.

In Hispania legi harum specierum alteram, caule diffuso, foliis ovatis planis, capitulis lateralibus sessilibus (an *Achyranthes caule repente* *Spec. Pl.* 205. 4?) Hujus stammina eodem modo sita sunt ac in Specie (a.)

96. BROMELIA. *Gen. Pl.* 312.

In duabus a me examinatis speciebus, nullum vidi nectarium, nec Corolla proprie tripetala dici potest, quum ad basin cohaereat, & in altera specie, Corolla nonnisi ad medium divisa.

Character, secundum mea observata, hic est.

CAL. *Perianthium* triphyllum, trigonum; Germini infidens; foliis oblongis, erectis.

COR.